

† Fr. I. prof. Camillus (Bonifacius) Vlassenroot (1857-1932)¹

(Vice-Prov. Belg. Antillarum)

Die 28 Iulii 1932 e vita discessit in domo episcopali Rosensi carissimus Frater laicus Bonifacius, qui fuit per longam vitam religiosam exemplar regularis observantiae; ultimam infirmitatem, longam et acerbissimam cum patientia vere angelica pertulit, et mortuus est cum omnibus signis praedestinatorum.



Natus in Hamme, prope Dendermonde in Belgio, die 18 Iulii 1857 ingressus est Congregationem SS. Redemptoris exeunte anno 1881. Post annos probationis et novitiatus vota perpetua emisit die 9 Aprilis 1888. Ei ita fides habebatur ut, licet iunior, statim ad officia multae cautionis a Superioribus vocaretur. Per plures annos munus ianitoris et sacristae in domo provincialatus Bruxellis obivit. Anno autem 1891 dignus habitus est qui in missionem Antillarum mitteretur. Eo tempore insula Sancti Thomae in Antillis ut coemeterium Provinciae Belgicae habebatur. Complures Patres necnon et Fratres laici febri, quae flava dicitur (alias *Vomito nigro*) absumpti iam erant, ita ut nullus sine periculo vitae in Antillarum insulas iter aggredi videtur, et quaedam animi fortitudo ad obedientum Superioris mandato requireretur. Frater Bonifacius haec omnia vilia habebat. Simulac nominationem accepit, magno animo profectus est.

Per complures annos fuit ianitor, sacrista et coquus tum in insula Sancti Thomae tum in insula Sanctae Crucis, neque unquam adversa valetudine affectus est. Semper autem remansit exemplar regularis observantiae et pie-tatis. Cum anno 1902 Adm. R. P. Phil. Schelfhaut, Superior domus Sancti Thomae, Episcopus Rosensis electus est, hic Superiores rogavit, ut permitterent Fratrem Bonaficium secum habitare in domo episcopali Rosensi, utpote quae collegio nostro attigua est. Permissione rite concessa, Frater Rosenam perrexit et per annos triginta, adscriptus communitati illius loci, permansit manus dextera Episcopi in rebus temporalibus domus gerendis.

¹ Ipse Episcopus Rosensis, Ex̄mus Iacobus Moris C. SS. R., famulo suo bono et fidelis hoc pulchrum monumentum litterarium posuit.

Nunquam autem maiore qua fruebatur libertate abusus est, neque unquam in temporem incidit; e contra, non solum perrexit in fideliter obeundis muneribus sibi creditis, sed ita crevit fervore, ut summa vitae eius vere dici possit: Oratio, labor, caritas in officiis praestandis.

Quadam die, mense Septembri anni praeteriti, post preces vespertinas ex oratorio in cubiculum suum descenderat. Ibi, subita apoplexia correptus, in pavimentum decidit et per duas circiter horas solus remansit. Hora fere undecima noctis ad se reversus, expertus est se totum esse sanguine conspersum. Neminem tamen e somno excitavit, sed semetipsum sanguine purgavit. Hora quarta, uti moris erat, surrexit; praeparavit ientaculum; fecit meditationem; inservivit duabus Missis; et solum quando hora septima totus in capite vulneratus coactus est sese confratribus monstrare, dixit subridens: « Nihil est; nescio quid mihi acciderit ». Rogatus autem cur confratrem non vocaverit, respondit se non voluisse confratrem somno privare. Medicus statim venit, et Fr. Bonifacius horas trium vulnerum hiantium suturis committere coactus est. Per duos circiter menses in cubiculo mansit, et ex eo tempore laborare non amplius valuit, sed se totum orationi dedit.

In hebdomade Passionis Domini currentis anni morbus subito mortalis effectus est, et ultima Sacra menta confratri collata sunt. Praeter cruciatum horribiles capitum nihil omnino manducare poterat, ita ut non nisi maxima cum difficultate SS. Eucharistiam reciperet. Pulmento tenui et modico lacte unice vescebat; quattuor autem ultimis vitae hebdomadibus nonnisi quasdam guttulas aquae sorbere poterat; et quae maxima erat mortificatio: Sanctam Communionem non amplius recipere valuit.

Attamen per totam morbi durationem non solum non conquestus est, sed continuo gratias agebat Deo pro magno beneficio et privilegio cum Christo patiendi pro conversione peccatorum. Quamquam dies noctesque persaepe insomnes ducebat, tempus nunquam nimis longum ei visum est. « Sanctus Ioseph mecum loquitur », sic aiebat, « et valde pulchra mihi dicit ». Post nonnullas autem hebdomades: « Non amplius Sanctus Ioseph, sed Dominus Noster Jesus Christus Ipse nunc mihi loquitur ». Quod dicens monstrabat cor suum et oratorium contiguum, in quo SS. Eucharistia asservatur.

Decimo circiter die ante obitum, ad meridiem, subito carissimus Frater, in altum suspiciens et manus extendens, coepit ridere, facie irradiata et quasi transfigurata. « Quid est, Frater? » nosocomus rogat. « Dominus Noster adest et mihi subridet », simpliciter respondit bonus Frater.

Tandem post decem dies novorum cruciatum finis videbatur proximus. Omnes confratres domus Rosensis concurrebant ad preces agonizantium recitandas. Moriens autem orationes iacularias sibi suppeditatas ma-

ximo cum fervore, in quantum poterat, repetebat. Hora septima cum di-
midia vespero suam animam quietissime in manus Domini efflavit, dum
confratres ad pedes lectuli Rosarium recitant.

Dominus Iesus, qui ei subridere in terra dignatus est, indubitanter eum
post mortem in aeterna tabernacula recepit.
